

RECTORE ET CLEMENTISSIMO
PROFRIDIO AUGUSTO
BENEDICTO FRANCISCO

PROSPERINO
BARBIANO
PRESIDIO
PROFERIDI BERGERI
PER ELECCIONIS SAZ
SALUTEM MENTITATI

TE
JOHANNES ZEITZNERVS
SACRAE THEATRIS
PROFESSORIS
PROFERIDI BERGERI CONSVENTIS
PROSPERICO BARBIANO.

3276

1706 2

de iure canonico ante legendo.

M

IO. HENRICVS BERGERVS, IC.

POTENTISS. POLONIARVM REGIS
ET PR. ELECTORIS SAX. IN SVMMO PRO-
VOCATIONVM SENATV CONSILIARIVS,
ET COLLEGII IVRIDICI, QVOD
VITEMBERGAE EST,
ORDINARIVS,

STUDIOSSISSIMAE IVVENTVTI

SALVTEM DICIT,

EANDEMQUE AD PVBLICAS IVRIS
CANONICI PRAELECTIONES PER-
HUMANITER INVITAT.

BERGERSIC IO. HENRICAS

STUDIOSISSIME ILLAVENIAI
ORDINARIAS. ALITERQUE
ALITERQUE (ED.)
ET CONGRAPHI IN INDICIS GOD.
AGCATHONUM SINTIA GONZIATIAE
ET IR. ELECTORIS SAXI IN GUIMMO PRO
POLINTHS. POLONIARVM REGIS



Vm in ius Pontificium, quo hodie-
que utimur, multi multorum cumu-
latique extant commentarii; tum
Gallorum praecipue legendi sunt li-
bri, propterea, quod hi, praeter ce-
teros, libertatem sequuntur, et
posthabito servitutis obsequio, se tantum Pontifici
submittunt, quantum eiusdem decreta et vero propria-
ra videntur, et ipsorummet utilitati rationibusque mi-
nus adversantur.

Alia longe ratio est Italorum, quos quidem auto-
ritati civis sui nimis addictos esse, inter omnes con-
stat. Aetate Lutheri nostri ea fuit iuris Pontificalis
opinio, ut Augustae Vindelicum Caietanus, pater pur-
puratus, idemque cetera doctus, illius doctrinam ad
horum librorum, quam ad sacri codicis, normam ma-
luerit expendi. Italis saepenumero accedunt Hispani:
quemadmodum cum aliunde, tum in primis inde co-

A 2

gno-

gnoscitur, quod antistites Itali, consentientibus Hispanis, in Tridentini Senatu concilii contenderunt, concilium Florentinum, quo maxime Pontificis assertus est dominatus, generale; Basileense autem, quo ista potestas in ecclesiis, speciatim Germaniae, oppugnata, schismaticum, fuisse. Contra ea Galli Basileense et Constantiense, quibus ius provocandi a Pontifice ad concilium generale constituebatur, pro generalibus reputarunt; Florentinum non item, quippe cui interfuerint pauci aliquot Itali tantum, et quatuor Graeci.

Gallis certe non inferiores videri voluerunt Germani, quando iure suo circa sacra coeperunt uti; in primisque principes atque ordines Thuringiae Misniaeque: veluti satis edocuit consultatio, quae A. C. d^o ccccxlvi. in Thuringia a Guilemo III. Friderici Bellicosi, Pr. Electoris Sax. filio altero, cum ordinibus de emendatione cleri Thuringiaci, itemque de conservatione iuris, quod vocatur, territorialis, circa sacra praecipue, adversus emissarios Pontificis inita, atque ad finem, quo spectavit, perducta fuit. Nec vero non cognitum est, quanto opere iam pridem imperii ordines cum potestatis suae circa sacra, tum officii, commonuerit Marsilius Patavinus. Tum Maximianus, Imperator, et Rex Galliarum, Ludovicus XII. diversis quidem consiliis, ad eundem tamen scopum, collinearunt, ut idem ius, quod praedixi, et ma-

xima

xima pars potestatis Pontificiae recuperaretur. Hoc animo, hac mente, uterque concilium Pisas indixerunt. quanquam institutum caruit effectu: donec tandem, Deo propitio, per Megalandrum nostrum non solum divina veritas in lucem revocata, sed et libertas eiusdem generis principibus fortiter asserta, et deinceps lege publica pacis religiosae, Osnabrugae in perpetuum firmatae, postliminio restituta fuit.

Quae cum ita sint, danda est opera, ut non minus interpres, quam ipsummet ius Pontificium, circumspete ac sobrie et legantur, et ad nostrum forum accommodentur: ne qua principibus inferatur iniuria, neu fusciantur errores, qui subinde, in primis e dominatu Pontificio, diminant. Cuius quidem rei exempla sunt in promtu, nec longius, si recognoscere velimus, repetenda.

Meminimus, principibus nostris vulgo tribui respectum episcopalem: quam bene, illi iudicent, qui norunt, episcopos proprii ministros esse. Episcopi initio habebant notionem, quae audientia vocabatur, donec ea ex liberalitate principum in aliquam iurisdictionem converteretur: a qua maxime distat summa circa sacra potestas, quae principi competit, ut tali; quamvis idem fortasse ea semper et ubique non utatur. Quamobrem, ut dicam, quod sentio, doctrina nostrarium, qua princeps duplum, modo principis, modo episcopi, personam sustinere dicitur; cum eius-

4.

dem iniuria coniuncta est: non minus, quam si dices: nomen principis, ad asserendam summam eiusdem potestatem, sive a ministro, sive a subdito ipsi magistratu, repetendum esse: aut: principem utriusque gerere personam. Nec melior episcopali est papalis ille respectus, quem nonnulli principibus vindicare conantur. Argumentum, quo hi utuntur, simile videtur illi, quod verus dominus ab usurpatore iuris alieni ducendum putaret. Principi, quemadmodum praedixi, una eademque circa sacra pariter, ac profana, competit potestas: ut adeo, quod ad sacra, is non magis papali, quam episcopali, respectu egeat, sed utroque facile carere queat. Quorsum attinet, quod in Basileensi et Constantiensi conciliis, quae paulo ante memoravi, summum circa sacra ius non minus peiusve per laicos, quam clericos, fuerit exercitum: abolita, quae inter sedem Romanam et Henricum V. inita erat, transactione. Quo quidem loco meminisse iuvat decem querimoniarum, quas iam dum antea emendationem sacrorum ordines imperii Maximiliano adversus sedem Romanam obtulerunt; quibus alias deinceps adiunxit Caesar, sic, ut eae ad centum usque ex crescarent, et curaret ille, ut sanctio regni Franciae pragmatica cum observationibus Iac. Vimphelingi, Selestadiensis, in Germania publici iuris vim adipisceretur. Evidem nihil abnuerim, esse quaedam potestatis circa sacra Pontificiae momenta,

ta,

ta, quae labe et reprehensione vacent. At enim intelligendum est, saepenumero pa>a conventa impedimento esse, quo minus principibus nostris ea convenire dicenda sint. Ita iuri regaliae seu annatarum, quod vocatur, Otto IV. et Fridericus II. Imperatores, conceptis verbis renuntiarunt: quorum vestigiis deinceps ordines imperii, sigillatim, cum Emergaudus, Comes Vrgellen sis, A. C. cl^o CLXII. tum Fridericus, Guilelmus et Georgius, fratres, Landgravii Thuringiae, et Misniae Marchiones, A. C. cl^o CCCXCIV. institerunt. Nimirum pii et fortissimi principes hac regalium accessione, quae ex iure Pontificali proficiscitur, facile se abdicant, et carere malunt: quin irascuntur hominibus, qui, cum alia, eademque quamplurima, ad publicam utilitatem conferre possint, in devia deflectunt, et sanctum principis animum eiusmodi consiliis irretire non ventur.

Similiter recepta a nostratisbus, atque episcopatisbus addita distincio: inter τὸ esse in territorio, et τὸ esse de territorio; summo principum iuri fraudi est. Cum enim episcopatus in territorio principis siti esse intelligantur: non possunt non etiam dici, de ejusdem territorio esse; nisi ab eodem singulari lege excepti, aliquique subiecti esse comprobentur. Posteaquam enim conventione pacis religiosae potestas Pontificis ecclesiastica non solum in territoriis principum

Augu-

Augustanae confessionis suspensa, sed et eisdem instantum, in quantum iuri naturae et divino, itemque passionibus, non adversatur, postliminio restituta fuit: cognitu haud est difficile, episcopatus, qui olim Pontifici parebant, principi, cuius territorio continentur, subiectos esse. Immo monumenta publica satis testantur, ipsosmet episcopos, ante tempora Lutheri, quantumvis Pontificem certo modo recognoscerent, a principibus ad comitia vocatos, paruisse quanquam alioqui non ignoro, ius territoriale, itemque iurisdictionem et dominium directum, ita seiungi, ut in diversis personis omnia sigillatim consistere possint.

Pari modo in nostro quoque foro peraeque valet opinio, qua, in caussa matrimonii ab altero alteri ius iurandum in sensu negante deferri posse, negatur. At enim argumentum, quod a transactione duci solet, animum vix explere poscit. Neque enim alterum ex altero consequitur: contra matrimonium transigi non licet; ergo nec deferri ius iurandum. nam facilius longe contra matrimonium transigitur, quam iuratur; quum quilibet memor salutis aeternae esse intelligatur. Immo contra matrimonium, si quidem, utrum tale unquam contractum sit, dubitetur, transactionem quoque iudicialel valere, nemo negat: et, si quis neget, ex usu confutatur. Quid ergo vetat, quo minus tum etiam, cum alia

8.

alia desint demonstrationis adminicula, iuriurandum
ab aiente neganti, iudice interloquente, deferri pos-
sit? Parum abest, quin ea opinio, quam vulgo rece-
ptam esse, dixi, a regulis rectae rationis defle^rtere vi-
deatur. Quam enim sententiam matrimonio magis
dicemus esse inimicam? eamne, quae, defectu proba-
tionis ordinariae, reum negantem a praestatione de-
lati sibi iurisiurandi immunem pronuntiat? an, quae
eidem illam imponit? Satisne est, reum, qui negat,
iureiurando ad dicendam veritatem, sicubi pars, quae
detulit, prius de calunnia iurarit, compelli; quam
eum plane impunitum dimitti: praesertim cum ac-
cesserit concubitus, in quo in primis, ceteris paribus,
iure Divino natura matrimonii consistit? Finge tan-
dem, reum peierare: sententia tamen, quae pro eo
adversus matrimonium fertur, non transit in rem iu-
dicatam, neque impedit, quo minus, detecta quan-
docunque veritate, matrimonium redintegretur.
Quin eo propemodum adducor, ut existimem, iuri
Divino toties vim fieri; quoties iuriurando, delato
ei, qui, promisso matrimonio, concubuisse cum fe-
mina dicitur, locus denegatur. Ius Divinum serio ve-
tat, ne homo separet, quos coniunxit Deus. Atqui
Deus coniunxit eos, qui, data acceptaque matrimonii
fide, una caro facti sunt: sed eosdem separat iudex,
cum eum, qui negat connubii foedus, necessitate su-
per eodem iurandi levat, atque adeo, ut, suppressa ve-
ritate,

B

8.

ritate, aitem coniugem deserat, aliamque ducat, per-
mittit. Qua quidem in iuris Divini doctrina tanta vis
inest, ut uxor deserta, quamvis ea per sententiam so-
luta vinculo prioris coniugii fuerit, velit, nolit, mari-
tum, qui, re adhuc integra, i. e. ante consummatum ab
uxore secundum matrimonium, reversus est, aut so-
lummodo, correctis moribus, ad bonam frugem redi-
it, in thorum recipere cogatur: quemadmodum alibi
demonstramus. Velim igitur, iudices ecclesiastici id
diligentius paulo attendant, eamque opinionem, pene
dixerim, corruptelam, quae in animis hominum inve-
teravit, atque in foro quotidie obversatur, evellant,
tandem aliquando, penitusque deponant.

Porro character spiritualis, quem nostrates quo-
que sponsalibus inesse, putant, quinam alias est, quam
sacramenti, quem Pontificii configunt? Purior theo-
logia eum non agnoscit. Iure Divino, quemadmo-
dum praedixi, vis matrimonii subnititur unitate car-
nis. Contra vero sponsalia etiam ea, quae dicuntur
de praesenti, sunt praeludia matrimonii, eidemque
tantum muniunt viam. Quamobrem religioni non
duco, memet, quotiescumque tulerit occasio, in diri-
mendis sponsalibus facilis praebere; praesertim sic
ubi utraque pars consentiat: ut malo maiori occurra-
tur. quae sententia iure non modo civili, sed etiam ca-
nonico, modo hoc dextre explicetur, confirmatur.
Sponsalia, antequam contrahentes in unam carnem
coale-

9.

scant, non magis valent, quam alia pacta, a quibus mutua diffensione, et bona utriusque gratia, recedi licet. Quod itidem, quaeso, tantis per obseruet iudex: ne nimium rigorem, in consummando matrimonio adhibitum, sero nimis doleat, cum coniuges coactos in periculum salutis non temporalis modo, sed etiam aeternae, coniectos esse, animadvertat.

Praeterea sunt quaedam doctrinae capita, quae, quamvis in ipsomet iure Pontificio iurisdictioni ecclesiasticae sat lucide subiiciantur; ab eiusdem tamen enarratoribus, nescio quo fato, inde eximuntur. Exemplo fit quaestio possessionis: hanc enim in caussis ecclesiasticis a caussa proprietatis cum plerisque Pontificiis nobis strates ita divellunt, ut eam iudici seculari relinquendam esse, putent. quum tamen et nexus utriusque iudicii, possessorii et petitorii, et germana iuris Canonici explanatio, ab ea sententia, utcunque vulgo comprobata, animum, ut ostendimus alibi, facile abducere possint.

Haec, et similia, exempla comprobant, cum ius Canonum, tum, quae ad illud scripta sunt, scholia caute, atque hoc iudicii temperamento, legenda esse, ne doctrinis, quae ibidem traduntur, nimium aut tribuamus, aut detrahamus, sed eas in universum, prout religio suggestit, aestimemus. In quam quidem viam in postrem, quod bene vortat, ingredi, animus est: posteaquam, D E O propitio, P O T E N T I S S I M V S P O L O N I A R V M R E X, I D E M Q V E P R. ELECTOR SAXO, in locum praefidis

B 2

10.

5/5

fidis nostri, viri iuris consultissimi, Gothofredi Strausii,
cuius excessum luctu desiderioque prosequimur, memet
clementissime suffecit, atque adeo cum munere praesi-
dis ordinarii coniunctam ei iuris Canonici Professionem
mihi demandavit. Acquiesco in Regia magni Regis
gratia, quae tanta mihi visa est, ut, quantum dignita-
tem, ab Aula vicina perbenigne delatam, venerarer,
tantum deprecari, et digniori relinquere, cogerer;
praesertim cum mihi nihil evenire potuerit optatius
illo vitae occasionisque genere, quo vel ad huius illu-
stris Academiae amplificationem, vel ad iuuentutis, ad
republicae usum decusque formandae, utilitatem mo-
mentum afferri queat. Iccirco, ne susceptae desim pro-
vinciae, e libris, quibus operam meam impertiri possim,
selegi *Io. Schilteri Institutiones iuris Canonici*: quae,
uti ad ecclesiae veteris atque hodiernae statum accom-
modatae sunt; ita communi do&ctorum suffragio pro-
bantur. Faciam autem, D E o bene iuvante, harum ex-
planationum initium proximo die Martis, ab hora ma-
tutina X. atque, id potissimum mihi datum negotii, pu-
tabo, ut ea iuris capita, quae Schilterianis Institutioni-
bus continentur, primum exoterica, deinde acroamati-
ca, interpretatione exigantur. Cui quidem instituto,
ut ii, quorum interest, favere velint, humanitate, quanta
possum, maxima, oro rogoque. P. P. *Dominica III.*
Post Trinitatis cI 1500.

VITEMBERGAE, PRELO GERDESIANO.

höttingen, Diss.) 1706(1)



Vol 18





1706 2
de cursu canonicoe sive telegendo.
M

ENRICVS ERVS, IC.

COLONIARVM REGIS
IS SAX. IN SVMMO PRO-
ENATV CONSILIARIVS,
I IVRIDICI, QVOD
BERGAE EST,
DINARIVS,

IMAE IVVENTVTI
TEM DIGIT,

AD PVBLICAS IVRIS
AELECTIONES PER-
ITER INVITAT.